



**Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Imago 40. Totum fons manat in orbem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)



*Sapphicum.*

| Nubat nubes hilari fluente  
 | Discolor; ternis radijs amoena  
 Vade lux vibrat fluuio, triformis  
 Iridis intar.

## N O T Æ.

3. Triplici. *Haecenus obscurum SS. Trinitatis  
 mysterium, Christi Baptismo clare elucescit. Ideo  
 Baptismus SS. Patribus dicitur Sacramentum fidei.  
 Victor Antiochen. in Marcum.*

Baptismi Christiani gratia toto orbe  
 diffunditur à Christi baptismo.

*Imago 40.*

*Totum fons manat in orbem.*

1. Rotundus collis, in cuius iugo
2. Agnus suo pede excitat
3. Fontem, qui collem ambiat & inde
4. Riuos diffundit per medium
5. Labirynthi in
6. Rotundo vireto. E quo
7. Angues spinis confixi diffugiunt per spinosas sepes,  
rosis florentes.
8. Astra sereno celo irradiant aquis.
1. Ecclesia in qua
2. Christus
3. Baptismum instituit perpetuum, qui
4. Tote orbe diminat

5. Inexpli-



5. *Inexplicabili cum mysterio fidei de SS. Trinitate,  
quam infundit baptismus,*
6. *Toto orbe. Vnde vigor & gaudium inenarrabile  
efflorescit.*
7. *Reatus Ada in posteros transfusus, & inde pesti-  
lentes culpa baptismo delentur, & diluuntur  
non reditura.*
8. *Spes cali.*

*Trochaicum purum.*

**L** Ympidos trahens liquores,  
Fons salit, salit, decoro  
Monte, cui secat fugaci  
Riuus ima prata fulco.  
Vnde confluit niualem  
Riuus hinc, & inde concors  
In lacum, nixer, natatque  
Puriore de liquore  
Lympha, lympa digna cælo.  
Si quod hic scelestus atrum  
Fors draco vomit venenum;  
Vnde dira virulentos  
Mors lacu serat chelydros,  
Atque pestis æuiterna  
Anxias edat medullas:  
Omne virus, omne crimen,  
Huc quod adspuunt tot hydri,  
Fons sacris saluber vndis,  
Expiatque, diluitque.  
Macte, macte tam salubri  
Balneo puer beatus.  
Tuque vir, nurusque concors  
Numinis beatus hæres,  
Tot prius niger venenis,  
Purior rosâ, & ligustro,  
Nunc sacris renabis vndis.

*Agustus*



Agnus, ad saluis aram.  
 Hic spei vides, in omen  
 Astra denatant in vndis.  
 Astra, sed decora cœlo  
 Quæ micant, micant sereno.

N O T Æ.

Creditur Christi baptismus eodem quo Magi eum adorarunt die, triginta post annos contigisse: & id quidem dominico die vt August. serm. 154. de tempore. Sed vt Ioannes Lucidus. 7. de tempore feria 6. in Iordani propè Sathan & Iericho, vbi sicco pede Hebrai Iordanem transiere. Ios. 3. quod Mystice Augustinus explicat. Eo loco templū S. Iohanni sacrū exstitit. Bed. de loc. sancti. iam inde aqua Iordanis ex tam puri corporis contactu eam puritatis & integritatis vim hauserunt, vt nō corrumpantur. Gretser. in Cursop. palat. Sed a' iam longè maiorem sacro Iordani, & inde c. teris aquis dignitatem conciliauit; si non natura, saltem gratia; eamque mysticam. Nempe vt omnia omninō peccata expiarent. Sui enim baptismi Christus vti omnium Christianorum princeps, & auctor baptismum salubri è fonte gratia instituit; vnde riuus vbiuis, & semper dimanarent. Verū eius legem & necessitatem ad salutem nō nisi post mortem indicit. Vt D. Thomas p. 3. q. 26. & fuse Vasquez

Solemnis ad Ioannem in deserto mittitur legatio, quæ eum interroget,  
 Tu quis es? qui sic ad pœnitentiam  
 vocas & baptismo abluis? Cui ille,  
 Ego



Ego Vox clamantis in deserto, ad  
aquas Ennon & Salim.

Amor Ioannem interrogat, quid sit.

Imago 41.

*Nuper me in littore vidi.*

*Vox ego, deinde nihil.*

1. Liliū, cui insidet
2. Aëdon, cui schedula in
3. Ore & inscriptum, Vox ego, ad
4. Fontem, ubi
5. Aëdonis umbra innatat, & pellucet.
1. Corpus Ioannis nesciens labem ninei pudoris.
2. Amor cœlestis in Ioanne.
3. Sui contemptus, & nulla de se opinio, quasi nil foret, nisi vana aura & vox
4. Ad aquas, quibus baptismum celebrat, vel, ad divinam gratie fontem; in quo, ceu
5. Liquido speculo suam intuetur conscientiam, & seipsum.

**T**V quis es ab Solymis hospes dum quæritat oris,  
Hic ubi Rex vatum balnea pura parat?

Audiit, è nineo qui flore sedebat ad vndas;

Divus Amor, sed tūc tinnula factus avis:

Ecquid agis? dixit. *Nuper me in littore vidi*

*Vox ego sum. Quæris cætera? deinde nihil.*

*Vox ego, desertis ubi clamor oberat arenis.*

*Vox ego fusa vijs. Vox ego fusa iugis.*

Et breue quid, dices fateor. Sed maxima voci est

Gloria, me Verbum posse perenne loqui.

I

NOTA.